Sephon 3. 8.

ſicut aqua, dum alibi ignis præſignat incendia? *In igne enim zeli mei devorabitur omnis terra.* Si intendit criminibus perculſus, in cruciamina ultionis: unde modò eligit contraria flumina flammis? Non conabatur terræ exterminium, ſed tantum correctionem converſione peccatorum. Per ignem & aquam fit ſanè purificatio, verum diſcrimen ingens in modo. Ex igne profectò paritas, ſed remanet in correptis ſignum uſtionis. Ex aqua ſine ſordis nævo nitor fulget puritatis. Ex igne ſanatur vulnus, & expellitur virus corruptionis; cæterum manet cum ſanitate cicatrix. Ex aqua ulcus ita ſanatur pectoris: ut appareat nec veſtigium ulceris: & qui valebat ductus zelo medicari per ignem, elementi contrarij legit humorem; docens quomodò crimina corrigenda, ſuperiori zeli charitatis flamma: igitur crimen ab illo corripitur iuris ultione, verum ſine correptionis cicatrice; qua per inflictum ſupplicium (eſtò remiſſum) demonſtretur quod peccatum. Si per aquam, eſt in zelo propoſitum contra ſordem. Si per ignem, contra ſordem & ſordidum: & à Domino per aquam, & quaſi aquam ira immittitur ſupplicium; quia debet pœna criminis dirigi in crimen, nequaquàm in delinquentem. Hinc N. Patriarcha, ut vidimus n. 1. ait: *In ipſa correctione prudenter agat.* Ad quod præmittit: *Oderit vitia, dilligat fratres.* Cuius veſtigijs inhærens Franciſcus, *Collation.* 27. infit: *Hoſtes vitijs, medicos vitioſis.* Non ſe gerit in correctionem patrem, ſi relinquit cicatricem: ſiquidem ubi igne vulnus ſanatur, nævuſque relinquitur, vulnerato honore, atque contracto ex ulceribus dedecore; non videtur propoſitum zeli flagrantis, ut tranſgrediens quæ licita, corrigatur, ſed ut igne quaſi terra devoretur.

Correctio dum à prudentia, criminis nõ viget nota.

S. Benedict.

S. Franciſc.

Sit ira zeli in crimen, nequaquam in delinquẽtem.

12 In linguis queis in mundum Sanctus deſcendit Spiritus, nimis ſplendet prudens correctionis modus; ne Præſes in culmine dignitatis & honore, ſedeat

Oblitus decoris ſui.

Virg. d. v. 174.

Deſcendit, & *apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquàm ignis.* Non ignis, ſed tanquàm ignis; ut conſtet quando in zelo ignis cœleſtis: igitur ſuperflua urebat, ceterum illuminabat. Splendor ſanè inerat, ut zelus Superiorum dirigatur, dum aliquid iurè corrigitur: etenim ut ignis, debet ſuperfluis inferre uſtionem, verum honoris non adimere lumen. Ignis & linguæ obijcitur ſymbolum, in moderationem linguæ Præſidum; dum aliquid vel acriter corripi neceſſarium: equidem ignis zeli graſſari poteſt in crimen; quî lingua correpti commaculet ſplendorem. Perſiſtat decoris fulgor, ſi exulat, vel ſaltem arcetur error, ut qui pudet pro exceſsibus uſtus, uſtione introrſum glorietur illuminatus. Videantur verba *pluvia imbris*, nequaquàm procellæ, deſtruentis quæ impetuosè rigat, atque favore gravat: equidem minime ſplendet ardens lingua Superioris, dum pro verbis audiuntur ad uſtionem tempeſtates. Non è cœlo ignis, ſi dixerit, ut ait Poeta, 2. *Amor.* Eleg. 5. v. 33.

Actor. 2 3.

Quando zeli ignis obſervatur ut cœleſtis?

Zachar. 10. 1.

Quaque dolor linguæ dictavit, ut alij
Conſcia purpureus veniat in ora pudor.

Ovid.

13 Vanitatem, ex dignitatis inſolentia, arbitror influere in huiuſmodi deliria; quia fugitur phantaſticus decor, ex quo ſuſcitandus pudor. *Ignis quò clarior fulſit, citiùs extinguitur* (ſubdit Stoicus, ad *Marciam*, cap. 23.) *difficili materiæ commiſſus, fumoque demerſus, ſordidè lucet: eadem enim detinet cauſa, quæ malignè alit.* De animantibus cunctis dicitur: *Omne quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen eius.* Deus *adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea.* Experiri intendit, an hominem mutaſſet honos; igitur conſtabit, modò audiatur quomodò vocat ſubditos. Benè ſe geſsit erga regimen, ſingulos vocans iuxta propriam conditionem. Beſtia erat leo, beſtia elephas, ſed non vocat beſtias (verùm hanc beſtiam elephantem, & illam leonem) quia cum eſſet Superior; unicuique ſtudiosè ſervatur iuxta conditionem honor: etenim ſemper ſuperioris debet eminere urbanitas, quamvis ſubditos habeat beſtias & beſtias. Sic itaque lamentabatur de muneris gravitate Philippus Amyntæ. *Qualis* (ait apud Eraſm. *Apophthegm.* 4. n. 12.) *eſt noſtra vita, ſi etiam ad aſinorum commoditatem vivere cogimur?* Etiam per beſtias prætermittitur commoditas, in quas exerceri congruit Præſidis lenitas: etenim vel ab illis invitè dominationis portatur iugum, ſi modò ducantur inſolenti aſperitate verborum. Quid enim dicere proderit, *Heus tu beſtia, cui nec cor*; cum ſat, ut intelligatur, *Heus tu vulpes, heus tu mus?* Hoccine etiam ad beſtias exemplum, ne verbo labatur Præſes circumſpectione verborum.

Procaci, quod pudor, decor.

Senec.

Geneſ. 2. 19.

Ex verbis cognoſcitur regimen Superioris.

Eraſm.

14 Antiochus Sophiſta (ſubdit qui dudum *lib.* 8. *n.* 37.) cùm malè audiret, quòd nec prodiret in concionem, nec reipubl. munia capeſſeret, *Non vos* (inquit) *metui, ſed meipſum*: agnoſcens bilem ſuam vehementiorem, quàm ut cohiberi poſsit. Seſe cognovit in iram pronum; cui nec placuit dignitate loqui ullum verbum, ne mores carpens ſe daret in præcipitium: quandoquidem haud in poteſtate Superioris plenà auctoritate verba, bile commotà: commotàque bile non corriguntur, ſed commoventur ſubditorum animi. Tunc ſilentium opportunum, & maximè perſonarum; quippe iacebit errore,

Idem. *Nihil loquatur, qui increpando ira percellitur.*

Si facta narrat diſsimulanda ſibi.

Ovid. *Epiſt.* 9. v. 82.

Plorans acceſit ad Chriſtum Magdalene criminum pœnitens; & ab Evangeliſta dicitur meditanter, *mulier quæ erat in civitate peccatrix.* Cur ergo ſi pœnitens corrigitur, non nominatur? Quia corrigitur. De criminibus doluit, erubuit: nomenque peccatricis Evangeliſta tacuit; quia libentius amplectitur pœnitudinem, cuius in correctione non exprimitur nomen. Idem accidit cum adultera, in fragranti deprehenſa. *Hæc mulier*, dicitur: quęnam hæc? Ad quid? Solicitatur cordis converſio nequaquàm ex converſione confuſio, reprehenſione criminis; propter fructum correctionis: qui quidem magnus; dum diſponit prudentiſsimè zelus, quòd in emendationem noteſcant crimina, verùm errantium nec audiantur nomina. Totus hic incumbere debet Superioris conatus; quippę ſiccine corrigitur crimen, & tranſgredientium reſervatur honos: ipſeque ſuam ſervat ſplendore dignitatem; quia curat vel in fervore,

Luc. 7. 37.

Expenatur crimen, & non tranſgreſſoris nomen.

Ioann. 8 4.

Ne lingua præcurrat mentem.

Pittac.

DIDASCALIA III.

Iudex malevolus dæmon larvatus.

1 ETiam modò ad paſtores diriguntur minæ Tautologiæ, ut clareat munus paſtoris ex munere. Paſcit, qui paſcit in innocentia cordis ſui. Sine innocentia, vel in paſcuis non ſunt paſcua: diciturque meditanter *ad paſtores qui paſcunt*; quia minimè qui paſtores, habent paſtum; ubi malevolentià in cibum præbent venenum. Ovium enim ulcera dicunt quę paſcua, recipientium à paſtoribus cruciatum & ſub munere paſtorum; in quorum manibus videntur pro gratijs.

Ierem. 23. 2.

Non paſtores in munere, qui tyranni.

Horrendi ſtricto mucrone furores.

Stat. 10 Thebaid. v. 475.

Cauſam indicat Stoicus Cordubenſis, *Ep.* 71. *Omnium* (inquit) *animum æſtimant ex ſuo: omnia eiuſdem menſuræ ac pretij. Non putant fieri, quicquid facere non poſſunt. Ex infirmitate ſua de virtute ferunt ſententiam. Sic rectiſsima, cùm in aquam demiſſa ſunt, ſpeciem curvi præfactique viſentibus reddunt*: opprimuntque virtutem, quoniam arbitrantur cuncta iuxta propriam opinionem: etenim quicquid non erroris vel ab errore, eorum oculis patet ſpecie curvi. Ex infirmitate ſua ſententiam ferunt; nec putant fieri, quicquid facere non poſſunt. Unde cum habeant curvam læſam imaginationem; iudicant cerebro moto curvam ipſam rectitudinem. *Demens eſt, qui fidem præſtat errori*: ſubdit idem, 4. *Benef.* cap. 36. Decus profectò contumelioſæ cauſæ, quòd iudices ſine mente: etenim iudicium ex poteſtate faciunt, qui ſine mente non poſſunt.

Seneca

Laborat vertigine.

Idem.

Pronus ad omne nefas, & qui neſciret in armis
Quàm magnum virtus crimen civilibus eſſet.

Lucan. 6. v. 147.

Exemplum exhibetur à Tacito in *Agricol.* cap. 4. *Virtutibus iram Cęſaris meritus: nam accuſare iuſſus; quia abnuerat, interfectus eſt.* Quid mirum ſi cæca ratio, quòd mentem fugiat & boni & mali diſcretio? *Affectione & irà iuſtitia relinquitur* (infit) Gregor. Magn. 5. in *Iob*, cap. 9.) *quia dum perturbata mens, iudicium ſine ratione exaſperat; omne quod furor ſuggerit, rectum putat.* Lamentabilis ſtatus, ubi ita patitur erroribus pectus, amiſſa ratione, iudicij regimine, prævalente phreneſi; ut deſipientis furorem, perfectæ virtutis fanaticus ac delirus arbitretur rectitudinem.

Tacit.

Gregor. Magn.

Unde origo?

——Nil rectum, niſi quod placuit ſibi ducit;
Vel quia turpe putat parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri.

Horat. 2. *Epiſt.* 1. v. 83.

2 Sub huiuſmodi indignationis virga & ludimagiſtri ferula, auctoritate cenſorià, quę non exponentur incommoda & gravia! *Non mediocris iſte principatus* (ait Bernard. 2. de *Conſiderat.* cap. 6. n. 13.) *domabis lupos, ſed ovibus non dominaberis: paſcendas utique, non premendas ſuſcepiſti.* Quantum lanienæ ſpectaculum, oves in medio luporum; & pro maiore cruciamine, lupi ſub ovina pelle, cuius velamine vel interiora ſauciantur; quoniam morſus non caventur? In refrigerium damnatorum in crucem, miſeratio pręveniebat vini aromatici calicem; ut diximus, *Tom.* 2. *T.* 4. *à n.* 40. Oblatus eſt Chriſto, proximo diriſsimæ morti; at *cùm guſtaſſet, noluit bibere.* Bibere præ ſiti volebat: quare igitur renuit, quùm potum guſtat? An quia vinum illud miſtum felle? Utique. *Averſa-*

Bernard

Et dira tyrannis.

Matth. 27. 34.

ſatur (ait Alapid. hic) *malitiam Iudæorum, qui vinum felle corruperant, Inauditâ barbarie partim ad ludiorium, partim ad tormentum, partim inſolentiâ militum, partim malignitate Iudæorum.* Subdit hic Aponte: *Aſtu factum Principis ſacerdotum.* Unde exclamat Caietanus: *O crudelitatem! Etiam tam afflicto crucifigendo addunt afflictionem.* Ut conſtet afflictio & anxietas; exprimenda cunctorum cum calliditate malignitas: cuius magis patiens miſerans dolebat; quàm cruciatus dolorum, quos pro illis ab illis innocenter tolerabat.

Alapid. Apont. Caietan

3 Sub miniſtrorum poteſtate erat Salvator, in quem quia contrarius operibus, detonabat totus furor. Patiebatur dira tormenta, indecoroſa ludibria, iniurias arguente invincibili patientiâ; quin in ullam moverentur compaſsionem, quantumvis cognoſcerent innocentem: etenim cum ex ludibrijs, doloribus & vulneribus innocentis, cuperent conciliare benevolentiam malignantis Superioris; modò dominantis adipiſcerentur gratiam, flocci ducunt, vexare uſque mortem innocentiam. Totam miniſtrorum ſatanæ prurigo, erat ambitionis & commodi cogitatio; qui à Præſide ſuperiore pendebant, & ab innocente, quem ſub poteſtate habebant, nil, vel minus ſperabant. Ambitioni ſcelus non eſt frenum, ſed ſtimulus. Scopus, Præſidum gratia, qua poſsint ſatiari vota: modò cogitantur aſcenſus, quid quòd per indigna & conciliatrice infamia? Innocenſque ſtudiò affligitur, etſi innocens cognoſcatur; quoniam apud Superiorem improbum ut utineatur auctoritas, quòd per fas nequit eſſe, licet per nefas. Clariùs. A Principe congregationis malignantium, ut premant & opprimant iuſtum, eliguntur qui pravi, & quia pravi in vexationem electi: qui næ formidabant per crimina facta puniri; quæ quidem iniuriâ legum, fuerant reipublicæ ſcandalum. Huiuſmodi obſequio, nec horribilia ducebantur pro peccato. Idoneos miniſtros calliditate ſignat, ut virtus vexationibus pereat: quandoquidem ne (illorum Præſidis gratia) plecterentur flagitia; cogitabunt inventiones, queis vexetur ingenijs afflictionum innocentia. Quæ non facient ſummè ſcelerati, ubi ſceleribus acceptiores Principi?

Ambitio ſui curat etiam mereri per nefas.

4 *Dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum.* Ex lege (ut diximus loc. cit. damnatis aromaticum propinabatur vinum, in lenimina dolorum. Vino igitur miniſtri miſcuere fel, ut maior in cruciamen eſſet tormentorum vis. O crudelitatem! Afflicto crucifigendo ſuperaddunt afflictionem: igitur malignè ita miniſtratur, quod debetur ex lege; ut præ nimia amaritudine nec valeret deguſtare. *Cùm guſtaſſet, noluit, bibere.* Guſtavit partem potionis; ut cognoſceret, an etiam ibi introduceretur rabies. Fel in refrigerium guſtu percepit, & guſtando nec bibere voluit; ne eſſet complacentia de pœna illata ex miniſtrorum malitia: quæ ita ſagax in iuſtum & ingenioſa; ut quod lex decreverat in dulcedinem, malitia aſtutè verteret in fellis amaritudinem: mordicando acerbitate in tormina ſtomachum, quod pro levanda ſiti videbatur refrigerium. Noluit bibere, cùm guſtaſſet. Ex levi guſtu cognovit, quid obſequium contineret; cum appareret pietas, cordium malignitas: etenim multum amaritudinis continet; quod ſitibundus afflictus reſpuit & expuit. Vinum ego mulſo erat ibi præparatum. Quis enim felli acerbæ miſcuit vinum? Miniſtri. Hoccine cruciamen non legitur præceptum à Superiore. Næ. Eius profectò optabatur conciliari gratia, vel per flagitia: & excogitatur ingenio crudelitatis vel in felle tormentum; quoniam quodlibet incommodum, Præſidis ſuperioris lænocinium: cum eius, impotentiæ carnifex acceptior eſſet, qui in innocentis vexamen novum modum cogitaſſet.

Aſtus in malignitate, quæ ſi obſervata lege

Celebratur peccatum, ſi Regentis lenocinii

Vita nocens, peccatis traducta patrum,
Generata repentè monſtra hominum,
Mente feri.
Non illis quicquam inliciti temeraſſe, profanum,
Aut licitum cordi. Vetitis ſuccenſa libido
Acriùs; & rebus pretium, non forma petendis,
Sed ſcelus impoſuit.

Mar. Vict. 2. *Geneſ.* à v.351.

5 Haud quieſcere quibant in ira, & levia maiora arbitrabantur tormenta; de illatis & inferendis, lætis miniſtris, in diritatem & truculentiam induſtrijs. Totum ab his, quaſi felle potis, ſævè perfectum. Unde ergo *aſtu factum Principis ſacerdotum*? Huiuſmodi calliditas uſquequaquè in mundo gliſcit, cæterùm Numen non fallit. Iniuria innocentiæ legis velamine deauratur. Verùm Deus non irridetur. Adi Auguſtin. in *Pſalm.*63. v.2. qui in meditatum iniquitatis effugium, horum extricavit, ac denudavit propoſitum. Princeps qui cuncta in Salvatoris mortem diſpoſuerat, atque miniſtris ſtudioſè mandaverat (fingens pietatem, quaſi ſequeretur legem, nominans occultò miniſtros pravos, ut in ne-

nece dirisſimus eſſet modus) excuſationem ſceleris meditati cogitabat, quoniam eius dignitatem dedecebat: dicens, & ſi lex iuberet, *Nobis non licet.* Quomodò acciperetur, illæsà auctoritate, ac throni decore; Præſidem infulatum influere rabidè in innocentis interitum? Deaurandus dolus, ut non appareat quod molitur pectus. Miniſtri, queis tradatur, eligendi, Superioris ſtudentes acceptioni, ut per ipſos cuncta faciat, & nemo ſtropham intelligat. Dicit Ioannes: *Adducunt ergo Ieſum à Caipha in prætorium.* Abſens Præſes ſuperior, qui iuſsit. Innocentem condemnandum ad alium Præſidem miſit; & miniſtros eligendo ſubornavit. Ab alijs totum factum, verùm *aſtu Principis ſacerdotum*: etenim cum duceretur vindictà; ne notaretur infamia (eligens miniſtros cupientes crudelitate placere, atque gratiam aucupari) abſens nihil fecit, factum miniſtris quaſi alienum impoſuit, excuſans ſubdolè factum; quaſi totum perfectum ex malitia miniſtrorum.

Ioan.18 31

Qualis color, quo pingitur Præſidis furor.

Verſ.28

Id. ibid. v.366.

Poſſe ſubeſt animis, & quantis velle, neceſſe eſt,
Servitio oppreſsis tam magnæ molis iniquo.

Quid non cogitaret, qui innocentem averſatur; cum damnaſſet, priuſquàm iuridicè damnaretur? Expedire dicit; ſed abeſt, dum factum expedit; intendens perversè hypocrita in famam, atque diſponens exerceri malitiam: prætorium fugiens; quaſi clara interventio ſupremi macula honoris, atque nævus ſuperioris dignitatis.

6 *Pudeat* (infit Senec. 1. de *Clement.* cap.19.) *Utinàm irà cum telo ſuo frangeretur; nec ſæpiùs liceret nocere, nec alienis viribus exercere odia! Facilè enim ſatiaretur furor & laſſaretur; ſi per ſe ſibi ſatisfaceret. O hominem mille mortibus dignum! Quanto autem non naſci melius fuit, quàm numerari inter publico malo natos?* Cauſam exhibet implacabilis crudelitatis, eius qui in vindictam utitur inferioribus miniſtris: tùm quia plus gravant, ut gratiores lubentibus fiant, numquàmque dicant Satis, eſtò in innocentem nimis: tùm quia cùm oculi extorqueant cordis clementiam, ſpontè elicientes lachrymam; cùm qui paſsi non videantur, vel extremæ afflictionis non miſerentur: quod enim oculus non videt, cor non dolet: tùm denique quia impunè uſque in ſatietatem ſæviunt, quin infamiæ poſsint contrahere levem notam, vel periculum: igitur aſſerunt neſcire, quod iuſſerunt facere: vel quoad factum, tantùm factum inſolentia miniſtrorum; cùm illis cupita nimis & grata miniſtrorum inſolentia: qua effuſum penitùs venenum pectoris, ſine dedecore honoris, cuniculis innatæ malignitatis. Sic mutuò improbi ſe fricant.

Senec.

Cur qui ſupremè infulatus per ſe non ulciſcitur?

—— Nefas cernunt duo:
Qui advexit, & qui iuſsit.

Idem.

Ut idem ſuccinit in *Hercule furent.* v.602. Sedent vani, & ex crimine glorioſi; quippe unus impunè ingurgitavit ſimulatam præ dignitate ſævitiam; & alius ſævitià nactus & fauſtè Superioris gratiam. Unde cùm ad votum cadat utriuſque embolium, in miſerijs non ſubſiſtunt.

——Tibi credita fratrum
Utraque maieſtas: nec patiuntur ſæva quieta
Crimina, pollutæque negant areſcere fauces.
Infandis iterùm terras accendere bellis
Inchoat, & ſolito pacem turbare tumultu.

Claud. 2 in *Rufin.* à v.5.

7 Patet, quid vitijs poſsint ſcelera, cum ſumma auctoritate coniuncta, legum ingenito odio, ac aſtu exhibito obſequio; cum in miniſtro auctorato plaudatur & horror criminis, approbatione ſuperioris auctoritatis; ut ſubſiſtat thronus per meditatum ſceleribus ſcelus: quo quidem inferior Superioris demeretur in auctoritatem gratiam; & ſumma auctoritas valet ſine nota in truculentiam. Non enim David in Uriæ vitam auderet; ni Superiorem exercitus, pravum miniſtrum tanti ſceleris habuiſſet; cuius auctoritas temeritatis protecta ab auctoritate ſummà: igitur miniſter ſubalternus palàm excuſabatur, quia non iuſſerat: & Superior, quia non fecerat. At in ſcelere.

2. Reg. 11. 14.

Artificium Præſidum ad excuſationem flagitiorum

Cunctos ligant conſortia damni.

Idem.

Crimen dedecorat dignitatis ſplendorem; & pravi vellent ſplendidam dignitatem, & ſimul crimen. Unde cum faſtidia aut odia pungant, & de criminibus lege fractà malè audiant; ut unum obumbrent vel quoad apparentiam crimen, per nefas & nefas millies audacter confrigent legem. Si præſentem arridet videre articulum; legeris Hieronymum à Præſule excommunicatum, *Epiſt.*61. Argumentum plenè tangit, *Epiſt.* 99. & 101. *In ſenio me illicò deſeruere virtutes? Ego probroſus? Ego verſipellis & lubricus? Ego mendax & ſatanæ arte decipiens? Quid eſt tutius, hæc vel credidiſſe, vel finxiſſe de inſontibus? Faciliùs creditur, quod aut fictum libenter auditur; aut non fictum, ut fingatur, impellitur. Hæc non eſt culpa, cuius ſub perſona alius agit tragœdiam? Magna mercede nihil ſcire docuerunt. Quid? Totius in me Urbis ſtudia conſonabant; omnium penè iudicio dignus ſummo.*

Ut crimen celetur, in plura multiplicatur.

Hieron.

In iuſtâ impoſturæ, à meritorum livore.

mo. Quidni inviſus & odioſus, ſi omnium ore, ſummo dignus? Rectus in rectorum oculis, verùm Satrapis non places. Conatus pectoris maligni ac malitioſi exenteravit Seneca Rhetor, *Controv.* 33. *Quæ enim* (inquit) *ſimultates, ut non eas quoque contraxiſſe, pudeat? Scio, Iudices, varijs quemque cauſis ad accuſandum ſolere compelli: quoſdam ambitio gloriæ, quam ex damnato petierunt, provocavit; alios odia & ſimultates protraxerunt: non dubito, fuiſſe quoſdam, qui præmium peterent.* Perſpicuiùs ex Scriptura promemus perfidiæ inſidias quippe ſi micat auctoritas,

M. Sen.

Benav. 2. *Epigr.* 84.

Neſcit frena nefas.

8 Ut vidimus, Princeps & proceres ſacerdotum (ut Ieſus ſubiret crucem) iniquitatem facinoris ſui refundere voluerunt in iudicem ſæcularem. Tunc ſicut in proditore diſcipulo, ſatanas habitabat in Pilato: cuius crimine etiam factus *membrum diaboli* (Gregor. Magn. in *Evangel.* Homil. 16.) igitur in lite huiuſmodi, formulas & technas, nec cogitaret ſatanas. Iudex malevolus dæmon larvatus: & cùm in litem nulla explorarentur acta; cauſa concinnabatur ex litis forma: ita ut nihil criminantibus ex actis; tota cauſa conſtaret ex meditata diſpoſitione litis: ipſi enim priùs examinaverant teſtes, ſed invenerunt mendaces.

Gregor. Magn.

Plaut.

Omnia herclè edicta vi, quando nil pudet.

Ut dicitur in *Menæchm.* AA. 4. ſcen. 2. v. 79. Ieſum ergo Iudici ſiſtum, & dum acta interrogantur; accuſantium tumidè reſpondit furor, Haud huc profectò recurſus, *ſi non eſſet hic malefactor.* Superbia illorum aſcendit ſemper: quaſi ſat in ſupplicium auctoritas accuſantium. Iudex audivit, rei innocentiam cognovit, invidiam perſpexit; ſed ut litem dirimeret, fulminavit poſſeſſus à dæmone: *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum.* Secundum legem accuſantium? Accuſatores, maximè ſycophantæ, non habent legem, niſi viſcerum malignitatem: Iudexque pectore iam receperat diabolum, iudicium cauſæ remittens in accuſantium iudicium. Nullam cauſam invenit, ſed ſine cauſa damnare iuſtum intendit: igitur ni eiuſmodi haberet malevolam intentionem; criminatoribus, cauſæ non relinqueret examen. Ut eximeretur à damnationis nota, nulla ab illo dicitur inventa cauſa: ſed damnare cum ipſis innocentem concupivit & diſpoſuit; modò non ipſe per ſe ſed per ipſos condemnaret. Probavit exitus, qualis occultè iudicis animus: igitur compulſus dirimere cauſam; liberè quaſi invitus mortis pertulit ſententiam. Propoſitum cordis aſtu occulebat, ubi innocentiam iuxta leges publicabat: equidem ni innocentis avidè tacens ſolicitaret necem; inimicis non remitteret contra legis tenorem, informationem. Membrum diaboli fuit & eius malignum cor: igitur tantùm diaboli, quibat eſſe ſuggeſtio (qua ſepeliebatur iudicij ratio) in iudicis æternum opprobrium; cauſæ examen indulgere ad accuſantium iudicium. Appoſitè Publ. Syr. *Mim.* 122. accinit.

Ioan. 18 30.

Verſ. 31

Examen cauſæ perperã, ad iudicium criminantium.

Malè facere qui vult, numquàm non cauſam invenit.

P. Syr.

9 Viſa iudicis ſuperioris malitiâ, pectoris exprimente conatum: etiam in eodem articulo demonſtranda molimina miniſtrorum: quæ quidem eſtò viſa patiente Domino; cuncta prolata à Cleopha brevi periodo. Pòſt reſurrectionem, ipſi & alij dixit, qui didicit ex his, quæ paſſus eſt; Hi ſermones, quos mœſti confertis adinvicem, qui ſunt? Tum Cleophas denunciavit: *De Ieſu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo; & quomodò eum tradiderunt Sacerdotes & Principes noſtri.* Malum utique, atque malorum extremum; ubi in innocentiæ iudicium, eiuſdem furfuris, vel peiores Sacerdotes; quàm iudices ſæculares. Peſsimum, ſi procedit iniquitas, unde fluere congruit ſanctitas: igitur iudicium perverſum; modò impius prævaleat adverſus iuſtum. Attende modum. *Quomodò eum tradiderunt Sacerdotes & Principes.* Quidni dicit, In mortem condemnarunt; ſed dumtaxàt, morti quomodò tradiderunt? In expreſsionem truculentiæ, opprobrij & ludibrij; ex quibus acriora cruciamina: quàm ex morte. Traditus fuit ſervis vilibus, ſceleratis conſummatà improbitate; ac ſentinà vitiorum, fæce reipublicæ. Numquàm cogitarunt ſub ſua poteſtate poſſe habere, quem triumphantem in urbem viderunt ingredi, Principum vitia carpentem, ex quo feralem conceperunt indignationem, cuius virus pectus vomiturum exulceratum, ubi poſsit Salvator in manus tradi ſervorum; qui crudelitate in innocentem, non ſolùm explicarent conditionem, ſed in gratiæ conciliationem Superiori blandimen: minimèquè dicitur, quomodò damnarunt, ſed morti ignominioſæ quomodò tradiderunt; quoniam ſervi Superioris nutu (ut viderunt humiliter ſubditum) non habuerunt ut ſervum, ſed ut mancipium, molientes mediaſtini in ampliores cruciatus præ iniquitate, quod indignum prorſum perficere cum cerdone.

Luc. 24. à 19.

Extremum calamitatis, ſi Eccleſiaſtici & ſæculares eiuſdem furfuris.

Servus cum dominatione, in iniurias ſine lege & libertate.

10 In ſimili articulo, qui ſint, oſtendunt, ſervituti nati, & miniſterio nutriti; quorum domi nec memòria, niſi ad flagra vel flagitia. Unde Senec. 3. *Beneſ. cap.* 28. inſit: *Quæ eſt tanta animi diſcordia? Eodem tempore ſervos deſpicis & colis. Nec enim ulli magis abijciunt animos; quàm qui improbè tollunt: nullique ad calcandos alios, paratiores; quàm qui contumelias facere, accipiendo didicerunt.* Hæc erat hora illorum, & poteſtas tenebrarum in hominem iuſtum, chariſmatibus preclarum, miraculis egregium, à cunctis, operibus plauſum, aberrantes revocantem frugi; ut obedirent ex profeſsione legi: & non tàm ex damnationem, quàm ex traditione conſtat nefas; quo ſervorum impugnita graſſaretur iniquitas: igitur ultra humanam cogitationem deſævijt, vireſque ingenio ſervili exhauſit; ubi viderunt ſubditum & obedientem, quem inviſum habuerunt præ innocentia Superiorem. Non potuerunt inopinam ferre fortunam; ſed non fortunæ ſed nequitiæ debebant in gratiam tribuere gratiam. Quia iniqui cogniti, in miniſterium electi: aliter non aſſumerentur in poteſtatis ſtudium, qui quia ſervi & nequam, habebantur ad ludribium: & quia apti truculentiæ muneri, in munus fuerunt electi; quippe opprobria inferre & contumelias didicerant, ex his quæ in ſervitute (ludibria domus) acceperant. Quid in damnum non facturi, optatam poſsidentes libertatem, qui non cognoverant fauſtè niſi turpem ſervitutem?

Senec.

Excedit furor, ſi Superioris Superior.

11 In traditione oſtenta miniſtrorum conditio; cæterum reſtat delicare. To *Quomodò*; ut clareat vafrities Sacerdotum Principis, miniſtros abominantis & eligentis. Si ille iuberet palàm, celſitudini dignitatis impingeret ignominiam; malèque audiret, ſi dedecus innoteſceret. Percitus livore, putrido viſcere, pravo pectore, ultionem phantaſticæ cogitationis cupiebat; verùm nanciſci ut cupiebat, non poterat. Nequibat ne quoad ſpeciem ſcrutari velamen, quo deauraret cordis tabeſcentis intentionem; licèt loqueretur ingratus aſpectus, & torvitate inamabilis vultus. Quid faciendum in iracundię diſſecantias propoſitum?

—— *Quàm ratione tuebor*
Spem vitæ fragilem? Qua tot depellere fluctus
Arte queam? Premor hinc odijs, hinc millite cingor,
Heu, quid agam? Non arma mihi, non principis ullus
Auxiliatur amor. Matura pericula ſurgunt
Undique, & impoſiti radiant cervicibus enſes:

Claud d à v. 11.

Cogitationes trucidant, pericula ex diſcrimine ſuffocant; quippe minimè conveniunt & dignitatis honor, & pectoris vorans furor. Quid ergo molitur? Miniſtris inferioribus in ſupplicium clàm tradatur, imperium quin & conatus notetur; ut maior ſit ex tormentis complacentia, & alis quæ Superioris, attribuatur malitia: igitur conficitur, quicquid quæritur incommodis; & quod propudium, appropiatur miniſtris, plaudentibus de obſequio in Superiorem, & nullo quòd modo cognoſceretur blandimen, decollatà truculenter innocentia, ſine Superioris nota. Gloriatur ſic in malitia, potens in iniquitate, vomens præcipitationis verba lingua doloſa: quæ verba malitię pernitioſi pectoris, ad excuſandas excuſationes in peccatis. En malignitatis aſtum. Ecce *quomodò tradiderunt eum*: ut conſtaret, quòd gauderet; ſed quod non interveniſſet. Idem, 2. *de Laudib. Stilic. v.* 281.

Molimina odij Preſidit pravi.

—— *Defendis honorem?*
Quid profuit, ſervilem pepuliſſe notam?

Idem.

Non fugis & ſervus criminis & ſervus dœmonis: maior erit ignominia, ſi evanuerit miniſtrorum dependentia: igitur tacent & audent, quippe ſcelera impunita: & vel horribilium criminum fit callidè prætermiſsio, quoniam cuncta iudicanda à iudice iudicando.

12 Phraſis ſingularis legitur apud Septuagint. Pro *Circuncinxit zona gloriæ*, legunt: *Induit coronam gloriæ.* HRaban. *Coronam Iuſtitiæ.* Corona ſanè ornatus, non indumentum in cultum; licèt in capitis gloriam, notet cidarim aut ſplendidam faſciam. Quomodò ergo indui poterit, quod pro veſtibus haud ſervit? Haud in ornatum accipitur pro veſtitu, ſed pro ſuperindumento. Hiſpanicè perſpicuo diſcrimine: *Veſtirſe, y reveſtirſe.* Oſtentatur ſæpè corona gloriæ, quæ debet eſſe iuſtitiæ: & cùm ius in ſcelus veſtiri nequeat; qui pravus corona dignitatis veſtire cogitat: igitur in abſurda contra præſcripta legis, corripiuntur infulis dignitatis (Vernacule: *Para hacer una maldad, ſe reviſten del poder*) etenim inquirentes etiam ex flagitijs gloriam (ex ipſis cognoſcentes ignominiam) ne pateſcat embolium; malignitatem veſtiunt, & ſuperinduunt: quandoquidem non ita affectibus inſanirent; ni haberent in

Eccl. 45 9. Septuag.

Idolum abominationis, quod apparet Zeli legis.

in effugium ſacram infularum veſtem: ſi ergo fortaſsè nudaretur veſtis; proculdubio ſimulacrum horreret iniquitatis, in delirantis pudorem; quoniam zeli coram oculis dumtaxàt erat velamen. Plura dicemus *Tautolog. ult. Didaſc.* 3.

13 Deinde. Gregis moderationi, Paſtori datur virga iuſtitię. Cur igitur non dicitur; quòd induerit pro zona virgam, ſed in gloriam honoris, dignitatis coronam? Dum virga induitur, flectitur: pravumque indigitatur regimen, modò directionis virga non habuerit rectitudinem. Aliud latet arcanum. Corona effulget inſigne Regum: virga itaque iudicum. Utrumque aliquando nectitur, ubi iniquitas ſine termino graſſatur: equidem non ita præceps in ſcelera iudicum rueret temeritate virga; ne arbitrarentur ſcelerate ex condito protectionem à corona. Prudentiùs, abutentes virgà, ſeſe gererent, ſi iudicandos iuxta leges cognoſcerent; verùm rident: virgaque iam corona, etſi pateant vel ipſis cæcis flagitia; quippe poſita ratione, corona damnare non valet, quod ipſa ſubdolè ſuſsit: labiturque virga inferior, quoniam à corona furor. Ex terminis conſtat. Reges ex corona non obligantur muneris rationi reddendæ. Iudices ex virga conſtringuntur à munere: & iam corona quæ virga; quippe tutò correpti à diabolo procedunt in flagitioſa, aſſumentes poteſtatis libertatem, & qualemcumque proculcantes legem: igitur fovet virgarum inferiorum audaciam; à ſuperiore corona nullam habere vel formidare cenſuram.

Prava, ſi flexa iuſtitię virga.

Cauſa, quibus inferiores miniſtri ridēt de ſcelere.

14 Iam locum habet quod promiſimus, *Tom. 7. T. 1. D. 3. n. 9.* ex Iſaia. *Nec paſtores requieſcent ibi, ſed requieſcent ibi beſtiæ & piloſi* (Hieronym. *Dæmones*) *ſaltabunt ibi.* Elucet ſummum damnum ex æquivoco verſionum. *Paſtores & dæmones*: equidem infernus exploratur ibi, ubi regentium ex condicto malignitate, fiunt conditione dæmones, qui in gregis integritatem, par erat, eſſe paſtores. Huiuſmodi ſimultas paſtorum, claret ovium detrimentum. Cavet Benedictus, ut vidimus in *Litter.* n. 5. At quid ad illos? *Saltabunt ibi*, ſuperabundantià gaudij. Vel ad votum cadit furor, furoremque ſequitur honor; quoniam cenſuram non habet nec inferior nec ſuperior. Apud Noſtrates: *No tienen reſidencia.* Superior, auctoritate, atque fantorum factione. Inferior verò Superioris molimine; quo plauduntur ut virtutes, vel tetricæ ferales impudentiæ iniquitates. *Fatendum eſt* (infit Senec. de *Vit. beat.* cap. 12.) *tam longè illos tunc à moleſtia abeſſe, quàm à bona mente. Hilarem inſaniam inſanire, atque per riſum furere.* Proh miſeri ſub dæmonis poteſtate! O Deus!

Iſai. 13. à 20. Hieron.

Unde Superiores convertantur in dęmones?

Senec.

Te ſine dulce nihil: iam formidata tyranni
Tēpeſtas ſubeunda mihi: qui fortè nefandas
Iam parat inſidias. Non te rectore tenetur.
Quamquam non adeo robur defecerit omne,
Tantave geſtandi fuerit penuria ferri.

Claudiād. lib. 2. à v. 268

DIDASCALIA IV.

A recta diſtributione dignitatum, dependet honor honorum.

1 NOnnumquàm Principibus onus in honore graviſsimum, diſtributio exacta muniorum & præmiorum; maximè ſi affectio titillat cor, quoniam, ut *Controverſ.* 1. ſuggerit M. Seneca, *Affectus noſtri in noſtra poteſtate non ſunt.* Fallitur, quippe cum affectu favor eſt dulcis furor: nequitque deaurari ut rationis operatio; quæ dumtaxàt affectio ſine iudicio: vulnuſque hiat iugulatę iuſtitiæ, modò affectus non habeantur ſub rationis poteſtate. Falſa momenta libraminis,

M. Senec.

Cæca voluntatis affectio ſine iudicio.

——— Si quid deliret amuſsis.
Sit ſolidum quodcumque ſubeſt, nec inania ſubter
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.
Iudex ipſe ſui totum ſe exploret ad unguem.

Auſon. Edyll 8. à v. 4.

Affectio cæca eſt: præoccupat cor: pluſque ſubeſt cum poteſtate, periculi; quando oculis orbæ ſibi videtur videre, agitaturque politicà, diabolicà agendi ratione. Tunc Princeps proterendo iuſtitiam, tantùm reſpicit ſine iure potentiam. *Plurimi* (inquit Iuſtin. *lib.* 13.) *non legibus pulſi, ſed per factionem Principum: verentibus eiſdem Principibus, ne potentiores in Republica fierent.* Hoccine non iuſtitia, ſed ambitioſa philautia; intendens in propria commoda ſuavitate ac dulcedine regiminis, ac captivitate mentis: quandoquidem benemeriti, factione regentis à dignitatibus, non legibus pulſi. *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael ad paſtores qui paſcunt.* Maldonat. hic: *Qui paſcere debent.* Appoſitè: etenim ni paſcant uti debent, minimè paſcunt.

Iuſtin.

Factionis favor phreneticus furor.

Ierem. 23. 2.

Maldonat.

2 Cauſam exhibet, qui huiuſmodi methodum regiminis inhibet. *Vos diſperſiſtis gregem meum, & eieciſtis eos. Viſitabo ſuper*

Ibid.

per

per vos malitiam ſtudiorum veſtrorum. Non hoc paſcere, ſed paſci, in meditata electione, acceptione perſonarum, & relegatione dotium: diſperſis meritis, electione poteſtatis: igitur ne videantur in ſolio uti digniſsima honore; per factiones ſatagunt diſpergere, & ſepeliri. Conditio fragilis humana, vel comite virtute ſequitur præmia: minimèque ſine comite fortunà.

Nec facilè invenies multis in millibus unum
Virtutem pretium qui putet eſſe ſui.
Ipſe decor recti, facti, ſi præmia deſint,
Non movet, & gratis pœnitet eſſe provū.

Ovid. 2. de *Pont.* Eleg. 3. à v. 11.

Diſperſique dicuntur, qui eiecti à dignitatibus, inſignis dotibus; quippe relegantur merita, ſi non apparent merito um munia.

Ni dona evaneſcunt merita.

——Quis enim virtutem amplectitur ipſam,
Præmia ſi tollas?

Iuvenal 10. v. 141.

Nemo ducitur dumtaxàt honore virtutis, & omnes appetunt virtutem honoris; quoniam dum abeſt honoris decus, nec virtus apparet virtus: pudetque in comitijs apparere, ubi virtus ſine honore. *Remunerationem rectò conferre propoſito* (ait Caſsiodor. 2. *Variar.* 16.) *& bonæ indolis viros ad inſtituta meliora aſcendere: noſtri ſtudij eſt. Nutriunt enim præmiorum exempla virtutes: nec quiſquam eſt, qui non ad morum ſumma nitatur aſcendere, quando irremuneratum non relinquitur, quod conſcientià teſte laudatur.* Longè ab illis, qui non paſcunt, uti debent gregem; ſequi à iuſtitia & iure huiuſmodi directionem: quandoquidem in diſtributionę dignitatum iuxta merita dotium; qui digni, eijciuntur, diſperguntur, ne creditores in electione videantur.

Caſiod.

Quare meritorū reprobatio ab electore factioſo?

3 Hinc malitiæ ſtudia, & ſtudiorum malitia, ubi ad Machiabelli formam diſponuntur ingenia; ut exaltentur vel inepti qui placent, & diſpergantur benemeriti, quia diſplicent; ne potentiores fiant, quos dotes elevant: igitur ſi ad illos fortè pervenerit regimen, Principis eligentis evaneſcet auctoramen: malitioſèque ſtudent, quo pacto indignos exaltent; quoniam illis dedecori, vel extra thronum eſſe ſine dignitate; ut per malitiæ meditatum ſtudium, illudatur à cunctis, quem elevavit propter factionem ad thronum. Quid de meritis agendum? Diſpergantur? Utique, inhonorata eijcientur. Quomodò, ſi procerè ſtaturæ prominet celſitudo? Huc enim ſubtile ingenium, totumque malitiæ ſtudium. Tota ſtudij malignitas, ut in maieſtatis poteſtatem, unius ſit plena voluntas, cui ab ambitione tota conferatur auctoritas, quod taxat Seneca, nos quoque *Tautolog.* 10. *D.* 2. *Si quis* (inquit de *Vit. beat.* cap. 30.) *ſemper unius ſequitur ſententiam; non id vita, ſed factionis eſt.* Totum à factione fit; quin in inumeris ſit numerus; quippe malitiæ ſtudio multorum eſt unus animus: tuncque merita diſperguntur, ne in honore unquàm videantur; quoniam non ſecundum legem ſed ſecundum factionem, habet ſtudium malitiæ pleniſsimam poteſtatem. Pende. Non dicit Dominus, cùm eſſent in honore paſtorum, *Gregem veſtrum*; ſed *gregem meum.* Quærunt ſine iuſtitia & charitate quæ ſua ſunt, non quæ Dei, ad quem ſpectant; quoniam Numinis poteſtatem uſurpant: totumque ſtudium malitiæ propensè incumbit, diſsipare quos Deus præclaris dotibus ad dignitates elegit. Plautus in *Pœnul.* Act. 4. ſcen. 2. v. 49.

Faction's aſtu & intuitus.

Senec.

Totum ſtudium factionis plenitudo poteſtatis.

Ibid.

Si pennis volare haud facile eſt:
Alæ pennas non habent.

Plaut.

Pereunt factionis ſtudia, ſi volant merita: ſed ita in ſtudijs ingenium malitiæ tendit callidiſsimè inſidias; ut quamvis habuerint pennas, in pennas non habeant alas.

4 Inter Priſcorum ludos famigerum Lampadarium, de quo in *Ephemerid.* 18. *Auguſt.* & 26. *Novembr. Lampadophoria* etiam dicebantur: *quæ erant certamina* (inquit Natal. Comes, 2. *Mytholog.* cap. 6.) *certamina currentium cum accenſis lampadibus. Erat horum certaminum conſuetudo, ut currentes ſummo ſtudio conarentur accenſas lampades ad metam uſque deferre: at cui fax eſſet extincta; ille cum infamia ceſſabat à curſu. Siquis cum accenſa face à ſequente ſuperatus currendo; lege certaminum cogebatur, ſequenti accenſam lampadem tradere.* Fabulam delicabo in Didaſcaliæ propoſitum,

Quodnā feſtum, Lampadarium?

Illud in his rebus tacitus ne fortè requiras.
——Inde omnis flammarum diditur ardor.

Lucr. 5. v. 1088.

Haud conferebatur prēmium conſummantibus curſum; ſed quorum finis curſus accenſis, uti cœperant, lampadibus: etenim in curſus honorem non ſat perveniſſe; ni curſum conſummaſſet cum ſplendore. Currere quiſque poterat, ſed in præmium, face extinctà, non decebat; quippe curſus & curſus erat labor, verùm non curſus ſplendor. Ceſſabat à ludo, cui fax extinguebatur in ſpectacula: equidem videbatur indignum, quòd propter curſus optaret ad præmia, qui curreret cum infamia. Recedit cui extincta lampas, ne per curſus dumtaxàt concederetur auctoritas: obex tunc eſſet currenti; locuſque debet concedi currenti

Quibus ritibus politicū?

cum

cum claritate. A palæſtra removetur, cuius flamma curſus proceſſu ſopitur: equidem ſuperflua ad honorem occupatio; dummodò currens lucere nequit in curſu. Ludus incohatus cum lampadibus, ſed ad præmia totus ludus, cogitatione honoris: equidem uti fatuæ virgines, accipiunt lampades, non ut currant, ſed ut dormiant. Lampades extinguuntur, ſicque in curſu fatuè procedunt. Spectatores ludibrio habent, ſed illi ludibria rident, gratia iudicum, quorum ad arbitrium diſtributio præmiorum: etenim honorem dormientes obtinent, quaſi ſplendidè curriſſent. In ſinu Ieſu dormit, requieſcitque Ioannes, vigilantibus cunctis. Si cor gratiamque Principis habet, ſine cura in honorem dormire poteſt. In huiuſmodi ludo etiam malitia valet, atque prævalet ingenio; ut perveniant quos factio indignos curſu cognoſcit, currenteſque benemeritos præmit: ſiquidem cum præmia tollent, ſi currant; aſtu diſponunt, quòd in metam non perveniant: vel ſi anfractus cum obicibus vincuntur; quòd lampades ortà procellà extinguantur.

Libratio unde meritorum?

Claud. 2 in Eutr. à v. 52.

Ruit in vetitum damni ſecura libido,
Certaque perpetui ſunt argumenta pudoris:
Subter adulantes tituli, nimiæque leguntur
Laudes.

5 Hi ſunt paſtores? Ita paſcunt, ubi dignos eijciunt, & indignos eligunt? Ita paſcunt ut paſcantur; quoniam totus ſcopus, unde quæſtus, perpetuo conſcientiæ morſu; quippequàm prævaricantur officio: in quo ad electiones, propter ſplendorem dignitatis, memor debet quilibet eſſe meriti, & prorſum immemor ſui. Dignitas (& ſumma) Meſsiæ conferri cogitabatur à miniſtris Synagogæ, uſurpando poteſtatem; quoniam nullam in huiuſmodi munere quibant habere electionem: dignitas quidem erat per decreta cœli, ſed ambitioni videtur omnia poſſe: quin aliquis furentibus in factione contradiceret; quaſi ius eſſet, conferre dignitatem cui placuerit. Palàm fit eligentium propoſitum, & etiam patuit temeritas eligentium: ſine iudicio ex abrupto procedit, cum electio etiam dignato non placet. *Miſerunt ergo ab Ieroſolymis Sacerdotes & Levitas* ad Ioannem, *ut interrogarent eum. Tu quis es?* Ille dixit: *Non ſum ego Chriſtus.* Si Chriſtus non es, dixerunt, *Quid ergo? Quid dicis de te ipſo?* Ille verbum, *Ego vox*: ait. Hæc in munere cœlitùs gratia; totus vox, nihilque præterea. Non interrogant, quid ſit, ſed quis eſt: & reſpondit ex officio, Ego vox?

Faſtus factionis

Ioan. 1. à 19.

Indignus nihil ſine dignitate.

Videtur imitare indignos, qui quidem ſine officio nihil ſunt; & dumtaxàt propendent in dignitatis voces, & nequaquam in merita dignitatis. Si interrogatur quis ſit; dicat. Zachariæ ſacerdotis filium eſſe. Nullo modo: Sermo erat de ſuperioris dignitatis electione: & ut ritè fieret electio in culmen honoris; ius erat vel in ſuffragio longe ſegregari à ſuis. Quis ſit. Ille dixit, *Vox.* Hoc Ioannis munus, in hoc à Domino miſſus. Intervenit electio, ut dignus collocaretur in throno. Ad eius profectò voluntatem, qui vocales putabantur, dirigebant intentionem; ut Superiorem congregatio haberet, quem ille ſignaret. Alius erat dignior, & cum ipſa dignitate potentior: & quia potentiorem atque digniorem cognovit; eligendum ad dignitatem ſignavit, miniſterium adimplens, dumtaxàt munere vocis, & ſimul dicens quis ſit, ubi ad electionem vox: etenim in meritorum iuſtificata electione; ſolummodò Ioannes recordatur officij. Vernaculè: *Siendo ſu oficio ſer voz; para la eleccion es de ſu oficio y no mas.*

Unde rectitudo eligentis in articulo electionis?

6 Hinc poſtquàm ſignavit dato tempore, dixit aſſeclis: *Illum oportet creſcere, me autem minui.* In deſignatione dignioris, ſplendorem proſpexit dignitatis, reijciens à ſe munus, cuius erat indignus. Summè plaudebatur à cunctis, uti creditor claris meritis ſuperioris honoris: factioniſque malignæ reijcitur favor, & pro honoris excellentia officij perſiſtit memor; quippe tunc honor dignitatis aſpicitur, quando in throno dignior electore collocatur; eſtò ipſe in auctoritate regiminis minueretur. Contra mores aulicæ politices procedit Ioannes in deſignatione Salvatoris. Sæpeſæpiùs qui honore indignus indigniorem eligit in thronum; vel ut deſideretur minus malum; vel ne obſervetur indignitas, quæ furente fortunà tradidit in cachinos habenas. Qui dignus digniorem quærit, quoniam honoris culminis ſatagit: etenim dignitas ampliorem haberet auctoritatem; ſi digniorem elector deſignaret ſucceſſorem. Hic modus recti regiminis, opuſque paſtoris, reſpicientis ratione officij meritum & demeritum; ut regimen iuxta rationis legem haberet modum. Audiatur Grannuyſe (ſeu potiùs Dionyſ. Areopagit. ex quo decerpſit) lib. 2. de *Propriet. rer.* cap. 7. *Eſt* (inquit) *hierarchia ſupercœleſtis, quæ conſiſtit in tribus perſonis. Cœleſtis, quæ completur in Angelis. Subcœleſtis, quæ perficitur in prælatis. Eſt enim hierarchia ſacrarum & rationalium ordinata poteſtas in ſubditis, debitum retinens principatum. Eſt in hierarchia ordo, ſcientia, & actio; quia ſi horum trium aliquid defuerit, non erit hierarchia. In ordine notatur officium: in ſcientia diſcretio: in actione miniſterium. Sine ordine, actio eſt præſumptio: ſine actione eſt ordo negligentia: ſine ſcientia & actio eſt reprehenſibilis, & ordo inutilis.* Ut ſub cœleſtis floreat in Prælatis, debet aptari ad amuſsim cœleſtis; ut cum actione, ordine atque ſcientia directrice, in cunctis & erga cuncta fiat voluntas Domini ſicut in cœlo & in terra. In Præclaro Scripturæ teſtimonio novi ſideris, exponetur quomodò hierarchia rutilabit in Prælatis.

Cap. 3. 30.

Quare auctoratus digniorem non eligit?

Quid ſit hierarchia?

Gran-nuyſ.

In quibus ordinis error?

7 In indicem nativitatis Redemptoris N. Ieſu; orta eſt ſtella, quam prædixerat Balaam: *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael.* Simul virga & ſtella: igitur ſi virga denotat regimen; & ſtella rutilum ſplendorem; Prælatus virgà directionis cum claritate eminebit, modò ſe gerat, ut Deus præfatam ſtellam condidit. Hinc viſam à Magis, dicitur: *Vidimus ſtellam eius*: equidem in erroribus lux & huiuſmodi lux, ſingulare eſt opus Dei. Sic enim Deus quæritur, & virga cum ſplendore uti è cœlo moderatur. *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Summa profectò prudentia Præſidum in regimine, quùm adorantur Prælati. Controvertitur inter Expoſitores, an huiuſmodi ſtella eſſet cœleſtis, vel elementaris? Ratiocinationes variæ erga quæſtionem philoſophicam, erunt exemplar regiminis in Politicam. D. Thom. 3. *part. quæſt.* 36. *art.* 3. Damaſcen. 2. de *Fide Orthodox.* cap. 7. Chryſoſt. in *Matth.* Homil. 6. Chryſolog. *ſerm.* 156. alijque plures cum Auguſtino, aſſerunt, fuiſſe ex materia elementari. *Non ex illis erat hæc ſtella* (inquit, 2. *Contra Fauſt.* cap. 5.) *quæ ab initio creaturæ, itinerum ſuorum ordinem ſub Creatoris lege cuſtodiunt; ſed novo Virginis partu, novum ſidus apparuit.* Negant præfati AA. ſtellæ cœleſtem ſplendorem; quia curſum non habebat regularem: & ubi conceditur dignitatis nobile decus; in Prælato debent obſervari cuncti motus: reijcique ut regimine indignum, quiſquis non habet regularem curſum: etenim extra obſervantiæ regulam, nemo ſubditorum intendet in obſervantiam. Obſervantes prælatum, averſantur inſtitutum: eritque error & regiminis crimen, obſervantiam deſerere propter obſervationem.

Numer. 24. 17.

Matth. 2. 2.

An ſtella Magorum cœleſtis, vel elementaris?

August.

Indignus muneris, qui non regularis

Si dixerit, Æſtuo, ſudat.
Paratus alienum ſumere vultum.

Iuvenal 3 v. 103

8 Sunt aſtra terra maiora; illudque è cœleſti eſſe nequibat ſphæra; quia locum habere non debet, dignitatis propter ambitum, qui in ampliore dignitate non habet locum. Noſtrates: *No debe eſtar por ambicioſo en el throno, ſugeto que no cabe en todo el mundo.* Debet eſſe proportio ad dignitates muniorum & dotium, propter ipſum ſplendorem dignitatum. Tunc enim non eſſet dignitas, quę deorsùm ſtantibus indicabatur celſitas: etenim puderet uti dedecoris, quòd ſublunaribus votum eſſet ſuperioris honoris; quippequàm non honor infrà, cùm ſplendidè luceret & in ſuperiore ſphæra. Vigilantiùs dialecto noſtrà: *Juzgàra injuria el luſtre de la mayor dignidad; mirandoſe tan abaxo un ſugeto de explendor.* Aliter. Secuta eſt ordinem in connaturali curſu, quo merebatur exaltationem & permanentiam in throno. Si eſtella ex cœleſtibus fuiſſet, in inferiora deſcenderet, deficiente conſonantia proportionis, ex magnitudine lucis: quo in articulo vel locus ampliandus, vel ſplendor diminuendus; unde D. Thom. d. inquit: *Stella de novo creata.* Non novum in ſtella præſtantia lucis. Micat novum, in modo collocationis: igitur novum, quòd ita ſplendidiſsimum ſidus collocaretur inferiùs. Inde evenit, quòd Magi pretermittentes curſum aliorum ſiderum, moverentur huius aſpicientes curſum. Sphæra ſtellarum non in aëre, ſed in firmamento collocatur: viſaque ſtella è numero cœleſtium ſtellarum excluditur; quoniam mirantur quantumvis in motu celebrent flammam, quòd tantus ſplendor ſubſiſteret extra ſphæram. Cauſa ſubeſt. Iuxta momenta meritorum debet eligi altitudo dignitatum; quoniam ſine proportione utriuſque, decor eſt dedecus dignitatis vel electi. Firmamenti locus erat ſitus & decor, quo collocari expediebat ſideris fulgor: minimè aeris elementum quo ſtella ducebat curſum & motum. Locus itaque haud ſtellæ reſpondebat radijs: minimèque quamvis fulgens, deſignatur ut cœleſtis; quia parum elevabatur: tuncque ſolium indignè demonſtraretur; quippe dedecus ſtellæ, condignæ (tanto ſplendore) ſublimi ſphærà cœleſti; quòd eius elevationes pendulæ ſtarent in aëre. Nonnullis placuit, ſtellas (ſicut Synaita, lib. 4. *Hexaemer.* de Sole & Luna) fabricatas eſſe ex humo; poſteàque à Conditore elatas, collocatas fuiſſe in firmamento; ſingulis concedendo extra pulverem al-

Cur ſtella Magorum nõ cœleſtis.

D Thomas.

Proportiõ quanti, inter merità & officia!

altitudinem, magnitudinem & dignitatem: viſoque ſplendore in aëre (ſphæra futili & vana) quo micare debebat cœleſti ſphęrâ; negatur etiam fulgentis iurè cœleſtis conditio : igitur daretur opprobrio , quòd ſine luce ac claritate locum relinqueret (in quo Deus ad illuminationem collocavit) ſine reſpectu dignitatis , ad quam aſſumpta ; propter reſpectum telluris , in qua miſerrimè nata.

Præſet obliviſcatur patria.

9 Alij econtrà aſſerunt , ſtellam fuiſſe cœleſtem, ſuperioremque lucem : quoniam *licèt eſſet è celeſtibus ſtellis , iuberi poterat nato Chriſto, relinquere quod agebat ; & ad illum manifeſtandum deſcendere , novoque modo & inuſitato moveri* : ſubdit Suarius, loc. cit. *D. Thom.* diſput. 14. ſect. 5. indicaturque ab Auguſtin. de *Tempor.* ſerm. 29. & 30. Si è cœlo non eſſet, miraculosè fulſiſſet. Non haberet ex ſe explendorem, eſtò luceret per conceſſam dignitatem : nec decor eſſet occupare thronum ; quia throni non ſplendores, ſplendores per miraculum. Si cœleſtis non eſſet (ut lib. 1. *Contra Celſum*, autumat Origenes) eſſet in *cometæ ſimilitudinem* ; cuius fulgor in materia & ex materia aëris : & quantumvis flamma plena fulgoris ; flamma in aëre ut cometes, non pręedicit honorem , ſed fatalem fulgenti infelicitatem : igitur in elevatione ad thronum , miſera profectò lux ; dum non habetur à ſe. Imitatio , fluxa qualitas ; nec valet eſſe ad dignitatem dignitas , nec ad honorem auctoritas : equidem licèt cœleſtis propter ſimilitudinem videatur fulgor, non poteſt eſſe ſuperior. *Eſſet tunc aliquid ſpecie tantùm apparens , ſeu phantaſticum: vel lux quaſi ſubſiſtens & per ſe ſeparata.* Utique tunc eſſet deturpatio dignitatis, huiuſmodi embolium ſplendoris : igitur totum phantaſticum , atque præſtigię oculorum , maieſtatis apparatus , thronus excelſus, ſplendoris apparentia , ſine ſplendoris ſubſtantia ; quoniam in cultum ibi ſine forma ſplendoris claret figura. Hinc iuxta Angelic. Magiſtr. in *Caten.* & Alapid. in Matth. 2. pòſt huiuſmodi ſtella evanuit. Erat lux adiacens muneri , nec valebat ſubſiſtere ; maxime ſi ſplendore evaneſceret, priuſquàm evaneſceret ſplendor, quo videretur aſcititius honor : per durationem, vel fluxum, patet ſoliditas vel pictura meritorum : an ſit ſplendor , vel ſpecie apparens fulgor , iuxta phantaſiam , cogitationem ſtolidam , quę evaneſcit , dum plus fulget : etenim non eſt decor dignitatis in honore , dummodò totus decor provenit à dignitate.

Suar.

Unde Magorum ſtella nequaquã elementaris?

Origen.

Suar. ibid.

Splēdor aſcititius electo dedecus.

—Tremulo ſplendore ſepulchrum.

10 Eximius Doctor d. ſubdit: *Non fuit neceſſarium , al quid novum ex nihilo creari : quia oportuiſſet poſt illud breve tempus vel ſtellam illam annihilari , vel cœlo poſteà affigi. Utrumque autem abſurdum eſt. Multò facilius fuit ſtellam novam condere, quàm de cœlo divellere, & vacuum illum locum relinquere, aut cœlum ad illum replendum rarefacere, aut novo & inuſitato corpore illum replere: aut rurſus ſtellam, ſuo peracto miniſterio, illuc reducere.* Elucet ſiccine in hierarchia ad actionem & ordinem cœleſtis ſcientia. Abſurdum eſſet ſtellam redigi poſt miniſterium ad nihilum ; vel reduci ad firmamentum. Non annihilari , de videretur affectu & non iudicio ſtella dicata muneri ; quo laborant in principatu potentes , pro lubito variabilis voluntatis, diverſitate affectionis : ſiquidem ſi amore nihil patet, quamvis totum agant ; tædio, non quieſcunt , quouſque dignatos ad nihilum redigant. Videtur ſæpe cum lachrymis eiuſmodi ſcæva fortuna , in quibus ſedit arridens primaria Principum gratia. Plura donant , ut plura demant , & lapſu graviori ruant. Sæpe ne obligati videantur , quoniam merita honores excedunt: annihilareque conantur , per quos illi in maieſtate ſubſiſtunt ; quippe ad dignitates cognoſcunt dotes inſignes , ſed minimè placent huiuſmodi creditores : non enim habentes quo munerentur merita, negant omnia. Miſerum eſt , cum plus debuerint, plus oderint : imò ut ab honorum obligatione, excuſatione ſubdolà immunes fiant; vel digniſsimos dedecorant : arbitrantibus æmulis , torvis oculis , illorum Prçſidem non poſſe non recordari, ni eſſent indigni.

Mantu.

Suare

Affectio fluxa.

Dum merita excedunt odio ſæpe munerātur.

11 Tempore quo Deus ſtellis condidit firmamentum ; placuit Rabbinis , reliquiſſe ſpatia concavitatum (Adi Kircher. *Oedip. Copt.* Tom. 2. p. 2. Claſſ. 7. ſect. 4. à cap. 1.) ut ibi collocaret aſtra conferens lucem ; qua luſtratura ac illuſtratura ſplendoribus orbem. Si illa loca luminaribus deſtinavit , quare in cœli vaſtitate à principio non implevit ? Erat à principio , dignitatis materia , verùm deerat ad elevationem forma. Vernaculè : *No havia ſugetos.* Pererius hìc *lib.* 1. n. 125. *Deerat forma, quæ principaliter dat & eſſe & nomen. Eſt autem aſtri forma ipſa lux.* Hoc erat opus ſingulare Dei , & in exemplum : nec enim , ſi in principio elevaret , eſſet decorum ; quòd ut poſſent lucere & illuminare in elevatione conſtituiſſet , & in throno non lucerent. Propter lucem dedit aſtris di-

Honor ſine meritis , non honor.

Perer.

gnitatem ſublimiorem , & antequàm haberent , ſine throno reliquit ; quippequàm à throno repelli debet , qui in dignitatem elatus nequaquàm lucere poſsit. Deformis ſanè eſſet honor , ubi honoris non ſplendor , qui à dotibus pendet , ut honor decorè rutilet : quandoquidem dedecus dignitatis , honoris celſi materia ſine meritorum forma. Ulteriùs. Forma deficiebat throni, quia aſtris deficiebat eſſe, quæ tempore dato , collocarentur luce in ſuperiore throno. Alijs rebus Deus poterat implere præfatas concavitates , quæ formam uti ſtellæ non haberent ſplendoris : potuit , ſed renuit , maluitque vacuitatem in thronis, quam occupari ab indignis. In congreſſù Principum coram Saul , ſemel & iterùm *apparuit vacuus locus David.* David erat locus , eſtò vacuus , quia benemeritus. Sedes non eſt ſedentis , ſed dotibus illuſtrantis : nemoque auſus , vel iniquo Principe locum abſentis præripere , etiam ſede vacante. Ut ſedes vacat , aulicus ſtatim occupat ; etenim invenitur in gratia Principis pleniſsima vacua ſedes. Saul in David, odio lividus conceperat tædium ; at nulli dedit ſede vacante locum. Cognovit vel in ira , nulla in ullo meritis David æqualia : maluitque vel improbus ſedem digni vacum eſſe, quam ab indigno occupari.

1. Reg. 20 27.

Satiùs, vacua ſedes, quã occupari ab indignis.

12 In Sancto-Sanctorum , ut obſervat Viegas *in Ezech.* 41. 6. & vidimus fusè, *Tom.* 2. *T.* 8. *D.* 7. *à n.* 9. erant ſedilia vacua. Quorsùm ſi vacua, ſedilia ? Ut excitarentur in virtutes , qui quęrebant dignitates : equidem ſi adeſſent merita , non defectura ſedilia : dedecus eſſet ſupremæ maieſtatis ; ſedes non habere queis muneraretur dotes (de quo infrà) ſine quibus , eſtò eminerent ex honoribus ſedilia , vel occupata eſſent vacua. Hinc Deus ſtellis haud in cœlis conceſsit ſedem , antequam haberent lucem ; quo taxatur facilitas conferentium munus ante tempus : igitur non aptum electum ad honorem cognoſcit , & affectus dicit : *Fiet.* Quomodò in honore merebitur, qui non meretur honorem ? Erit ſicut in imperio Claudius. Stultiſsimus erat , & imperio apparuit magis ſtultus: equidem in regimine habuit deſipienter ambitum , quo videbatur, nec habere , nec habuiſſe cerebrum : throni enim culmen magis ac magis hebetem demonſtrabat & deſipientem. Hoc factum in dignitate , qui expectabatur fieri : frequenter deſipientiæ atque furoris portentum , qui non geſtis præclaris , ſed dignitate fiunt (videſis Sueton. *in Claud.* à cap. 3.) iugulantes quæ fu-

Præmiā præveniatur dotibus.

Indignus honore turpior, dum expectatur melior.

Si ante tempus eleventur, meritis fugantur.

tura merita, ſiccine dignitate collata : equidem cum amentur otia ; piget meritis in ambitum ſtudere ; ſi ante meritum poſſunt, quæ meritorum nanciſci. Haud elevantur ſtellæ ſine ſplendore. Non ſecùs in hominibus expectandum ad elevationem honorum. Non lucet in dignitate , qui dignitate lucet. Haud ex electione eminet , qui eminentiam non habet ante electionem: ſtellæque non in cœlum aſſumpta , quouſque viſæ in claritate ; quippequam ut in firmamento luceant , iurè expectatur ut ſplendorem habeant : etenim ſuperius nequaquam poſſunt lucere ſine ſplendore. Erant aſtra (quæ radiorum amabili pulchritudine futura) & honor & ornamentum ſuperioris ſphærę. Illorum ſplendoribus ſervatum ſuperius excellens munus , & quamvis Conditor firmamenti quibat implere cava loca peregrina materia ; maluit ſubſiſteret cavitatem dignitatum , quàm in illis videre vacuitatem meritorum. Elegit potiùs dignitates non eſſe, quam videri & haberi ſine ſplendore. Aliter in habente non honos , quia

De maieſtate decidet in planctus.

Mant.

13 Alia introſpicio , ubi aſtrorum ſiccine diſponitur efformatio ; ita ut priuſquam illa, illorum condantur loca , & quouſque creata, que vacua , non ſint repleta. Si prius formarentur ſtellæ , quam illarum throni ; vel radijs ſplendere non poterant, quippe ſpharam non habebant : honoreſque miro ordine prævenit , dum aſtra Numen elevare ſtatuit ; ut homines diſcant, quomodò prudenter eligant , ac aſſumptiones clarè merentium diſponant : etenim ſi adinſtar ſtellarum (quorum nonnuli primæ magnitudinis) dignitatum creditores, meritorum ſplendore ; nec ad horam debent eſſe ſine honore ac muneris dignitate. Alio ſcrutemur colore. Contigit , affectum præcipitari , non quærendo homines ſplendidos dignitatibus , ſed ſplendidas dignitates homuncionibus ; metientes regulà connexionum & affectionis , qui tantùm menſurandi regulis iuris. Perpera prorsùs menſura ; quippe ſplendor cogitatur , ubi non aſtra : Deuſque antequam aſtra conderet, aſtrorum ſedes prævenit; ne diſtribuantur affectu cæculæ voluntatis , ſed erga dignos cognitione rationis : igitur ſi firmamentum elevatio claritatis , & aſtra ſignantur merita honoris ; haud elegit munera, quibus implerentur aſtra , ſed aſtra ſplendida, quæ complerent munera. Hic debet eſſe ordo , ut ſit plauſibilis inter optantes electio , protritis affectibus, dum aſſumptus in

Qui dotium dignitate, nec ad horam ſine munere.

Non munera quęrenda hominibus ſed homines gerēdis muneribus.

in munus: quandoquidem non ſignantur indigni ſplendori dignitatum; ſed ſplendida merita, ut adimpleant miniſterium.

14 Pergamus in metam. Nec congruebat (ut vidimus ex Suario) quod ſtella, quæ erga Reges nobile obtinuerat officium; propter illud eveheretur in firmamentum: extraneum quippe cœli collocari throno, quæ non erat è celo. Ibi quælibet ſtella, uti in loco ſuo poſsidet claritatem: cuiuslibet loculi proprium lumen, & quamvis inferius ab illa munus impletur, quæ lux elementaris uſque in cœlum non aſſumitur; quippe ius non erat, quod ex aerea ſplendoris apparentia, ad ſplendorem multiplicarentur munera. Apud Noſtrates: *Aunque parecian en la eſtrella relevantes ſus prendas, no era razon por el ayre ſe multiplicaſſen plazas.* Omptima in ſphæra inferiore, quo fuit deſtinata à Numine. Hic fulſit: minueretur, modò ſuperiùs culmen haberet: equidem quo in claritatem ſublimior honor, ex dignitate minueretur ſplendor; quoniam non eiuſdem ſtudij officium, nec Conditoris propoſitum, tres errantes luce in cognitionem ducere, ac in regimen totum mundum moderari. Eſſet ſidus in firmamento novum, ſed non magnum: nequibat enim in cœlo deſervire ſplendori, ſplendor alterius infirmæ ſpheræ. Tota cœli loca erant aſtris occupata; nec videbatur congruum, ad illum locum quod de novo eſſet ſtella: etenim ſi de cœlo, aut ſphæra cœleſti; fas non erat tanto ſplendore, remanere ſine munere. Si non è cœlo & in cœlum elata; in aſſumptione alijs aſtris inferretur iniuria: quandoquidem ius non erat, propter ſtellæ inferioris elevationem, ab alia aut alijs removere dignitatem. Denique non oportebat, ut è cœlo poſſe ſine diſpendio deſcendere, ad implendum eius vacuum; illud cœli rarefacere. Cuilibet ſtellæ in cœlo datur influxus; qui dignitatis in ditione decus. Illa deficiente, rarefactione cœlorum, aliarum extenderetur dominium. Cuilibet regularis motus eſt, nec eſſet illo in articulo ius, quod quia illa deficiebat à munere, aliæ extenderentur ab ordine regulari.

Affictio, dum ex aruete ... gatur, in terris bus vagatur.

15 Demùm in cogitationis concluſionem. Haud creperum, loca ſuperiora non conſtituere ſuperiora merita; ut patet in Luna & Sole, ampliore luce, ſed inferioris ſphæræ. Verùm frequenter à vulgo per celſitudinem munerum regulantur entitates meritorum: cogitante plus præclara, quæ altiora poſsident loca: quod quidem fomes ambitus, quo prurit inepti, ſtolidi pectus, titillante dignitatem fulgore, ſed dotium exule pretioſitate; ſpe tota in ulteriora, quippe in munus elevavit ſine meritis fortuna, & à ſtella cuius radijs ducta Regum maieſtas, poſt conſummatum opus collata adimitur claritas; quoniam longè à iure, quod celſius munus haberet, dumtaxàt, quia munus habuit. Si amplioribus gauderet meritis, amplioribus utique inſtum decorari officijs. Stella illa vel rutilà flammà, erat profectò in inferiore ſphæra. Magna quidem quoad deſtinatum officium; verùm exigua, ut ita veheretur in firmamentum; quo lucent, quæ in ſuperioribus magnitudine ac radijs fulgere valent: & quamvis munere luceret Regum ſtella, eius ad elevationem nec memoria; quippe dedecus & turpe, eò quòd habuiſſet infimam dignitatem, elevari ſine radijs in ſphęram ſuperiorem. Sæpè pro acumine, cogimur loqui vernaculè: *No era decente, que con tan pocas luces ſe levantaſſe à mayores.* Nec enim fas, illam, quæ ſtellæ dumtaxàt habebat nomen, habere ſtellarum culmen, nec quia elevata fuerat à terræ pulvere, collocari in firmamento cœli: equidem extra hierarchiæ ordinem, & rationis rectitudinem; elevari in octavam ſphæram, quæ nec habuerat nec merebatur primam. Munus obierat, & cum ſplendore; verùm non aptus ſuperiori dignitati, & quæ in munus inferius aſſumitur, ab ampliore meritò ſine meritis expellitur; quippequàm honores conferendi præclaris meritis, haud per habitos honores: qui quidem ſine dotibus, frequenter fortunæ, vel factionis munus.

Munere careat, quiſquis habuerit quoniam habuit.

16 In ſtellæ exitu patet cur plures ſerviunt officio, quippe illa ambitioſè ſolicitant, ut illis officia ſerviant. Poſt miniſteria ſtellæ ſplendor elanguit & illa defecit. Obijcitur ambitioſi conatus, ubi optatum prehendit munus. Non illo fungitur, ut ſerviat; ſed ut luceat; ut ulterius procedat, ut ampliora habeat; quippe claritas qua ſplendet, eò quòd futilis, evaneſcere poteſt. Impletur muneris tempus, & cogitur amplius munus. In cœlum aſcenſus præſumitur: non conceditur, & cum ſe ſuperius aſſumendum cogitaret, adinſtar ſtellæ fruſtrato voto, defecit. Æquivocè, ſed vividè apud Noſtrates: *Como las eſperanzas deſdicen, en faltando el oficio ſe deshacen.* Iam delicatę cauſæ expreſſæ, *n.* 10. ab eximio Doctore in criſim præfatæ ſtellæ: at ſententia exponenda Rabbinorum in complementum præſentis Didaſcaliæ. Placuit il-

Ambitio ſui deficit, ſi plus non habet.

lis præter dicta *num.* 11. Deum reliquiſſe in firmamento vacua loca, in quibus aſtra nova collocanda. Vide dicta *Tom.* 6. *T.* 1. *n.* 18. *Vocavitque Deus firmamentum cœlum*; aiunt: etenim inſertavit varijs cœlaturis, pro inibi in poſterum collocandis; opere miro interraſili, ac eximia pulchritudine. Hinc Ethnici de Magna-Matre, eadem potiti cogitatione: igitur iuxta Boccatium, in throno turrità coronà, & ſceptro poſuerunt, & circa thronum ſedes vacuas collocarunt; uti diximus, *Tom.* 7. *T.* 6. *num.* 2. *Sedes autem vacuæ circa illam poſitæ* (infit Chartar. in eius *imagin.* pag. 141.) *deſignant non ſolùm domos, quæ incolentium ſunt ſedes; ſed quia ipſa terra ſemper ſedes ſervet vacuas naſcituris.* Ne in hierarchia, ſine ſcientia diſtributionis, & actio ſit reprehenſibilis, & ordo inutilis; debet obſervari, quod in throno Magnæ-Matris: igitur ſi ſedes meritorum atque munerum inſignia; præparari, ſeu ſervari debent vacua munera, ne ſine præmijs evaneſcant merita.

Geneſ. 1. 8.

Imago Magnæ-Matris.

Chartar

17 Cœleſtis hierarchiæ ſiccine diſponitur ordo; ut non aliter fiat inferiùs dignitatum diſtibrutio. Sedes ergo poſita erat in cœlo, & in thronò apparuit Princeps ſupra ſedem ſedens: *& in circuitu ſedis ſedilia vigintiquatuor: & ſuper thronos vigintiquatuor Seniores ſedentes.* Sedilia illa non erat ſenibus, quippe illi ſedebant ſuper thronos. Quorsùm ergo in circuitu ſuperioris ſedis vigintiquatuor ſedilia? Erant vacua. Quo intuitu ſedilia, ſi non ſedentes? Perſtabant vacua ſeſſuris. Indicat throni apparatus Principis ſedentis maieſtatem, & ſimul iuris & gratiarum ordinem. Si cuncta ſemel, quia vacua conferret; non haberet in occaſione quid daret: puderetque, quòd alij inferioris meriti ſederent in throni ſella, & ſuperiora merita non haberent ſedilia. Si omnia munera collata eſſent, præſentibus meritis præmia quoque deficerent: & ſi ſumma ſervitia, & egregiè expedita miniſteria; pro munere dumtaxàt quibat conferri merces futura. Præmium futurum nequaquàm munus præſentium: Princepſque cœleſtis poſsidet vacua vigintiquatuor ſedilia; ne ſine præmio frigidę recedant merita. Obſcuratur itaque throni maieſtas; ſi impoſsibile Principi, conferre gratias.

Apoc. 4. 4.

Gratia debet conferri, ne neſſudi.

18 Deinde. Invitat virtutis præmium; ut ſubditus defendat, etſi diſpendio vitæ, throni maieſtatem, & ab hoſtibus incurſantibus in illo ſedentem Principem. Si honor vel utilitas evaneſcit, virtus, quantumvis valida, elanguet: & ut excitet animos in præclara facinora, habet Princeps in throno ſedilia vacua; quippe ſubditis nullum diſcrimen in maiore diſcrimine; ſi à Monarcha cognuſcunt muneribus honorari. Rurſum. Sine mercede, nullus, ut vidimus, ſtudet virtuti. Si micant ex periculis commoda, tendit audacia in pericula: arbitratùr blandimen Principis, ſplendorem maieſtatis, continuo officio, ac ſucceſsivo merito; quia videt aliorum coronatum officium, atque facinora in plauſum. Si cunctos honores qui eſt in ſede diſtribuiſſet, quid in merita præſentia non haberet: collatàque iuxta merita mercede, habet providè vacua vigintiquatuor ſedilia; haud aliò, niſi propter contingentia: ſtatus profectò infeliciſsimus Principi, ſtrenuos in munijs videre, merita cognoſcere; & nihil poſſe conferre. Multoties ex prodigalitate ſtolidà oritur inter Principes eiuſmodi ærumna: etenim quia ſine diſcretione honeſtarunt indignos, urgente neceſsitate cognoverunt ſe eſſe nudos. Non exhauriendus gratiarum theſaurus in obvios, quoniam qui in ſolio ſedet, ad manum habet: igitur in opportunitate ad gratiam vel præmium; non habebit uti nudus, quò poſſit mittere manum. Longè à Præſidis in throno prudentia, huiuſmodi regiminis forma: diſcat à Chriſto, quomodò ſeſe geret in ſolio: equidem latroni præmium & gratiam largitus, vel in cruce poſitus. *Hodie mecum* (ei dixit) *eris in paradiſo.* Hudie, & in eodem throno. Vel ſubiens crocem, promerenti habebat ſedem. Quid pro futurus futurà mercede, ſi peribat hodie? Hodie, quoniam eget, donandus eſt munere: quandoquidem ne vacua ſint merita, debet habere Princeps munera vacua. Non ſunt Sint: inſtituatur ſtatim pro meritis munus, ne honorandus ex munere procedat querulus.

Nullus ad meritis ... ſi micat honor.

Ne vacuę dotes ſint Principi vacua ſedes.

Luc. 23. 43.

19 Transfigurato coram tribus diſcipulis Salvatore, Moyſes & Elias *viſi* ſunt *in maieſtate.* Petrus, ut vidit, ait: *Præceptor, faciamus tria tabernacula: unum tibi, & unum Moyſi, & unum Eliæ.* Optimè thronos diſtribuit, prætut cognovit. *Unum* cuilibet pro dignitate, prudenti deſignatione: igitur uni haud deſignavit omnia ſed ſingulis ſingula: non enim decus, ut unus omnimodà potiretur dignitate; quòd alij benè merentes diſcederent ſine honore. Hinc *cùm diſcederent*, qui cum Chriſto viſi in maieſtate; Petrus tabernaculorum ſtuduit ſtructuræ. *Cùm Moyſes & Elias pararent abitum; ut eos retineret, ne* ab-

Luc. 9. à 31.

Si omnia uni, nihil cæteris.

Abulenſ.

abirent, *de Tabernaculis cogitat*: inſit Abulenſ. *quæſt*. 64. & hic Alapid. Inſignia merita fulgebant, Petruſque tabernacula cogitat, ne illic abeant: equidem recedere ſolent merita, ſi non ſunt munera. *Unum tibi unum Moyſi & unum Eliæ.* Unde Petrus, quos nec viderat, cognovit? Sedul. 3. *Carm*. v. 286. ſuccinit:

Sint tbro ni meri tis prepa rati.

Sedul.

Ignotos oculis viderunt lumine cordis.

Facta ignotorum cognitio in oſtenſionem excellentiæ maieſtatis: igitur illuſtriores, quòd facie ignota, à neſcientibus cognoſcerentur per merita. In maieſtate ergo viſi ſunt; Petruſque ſtatim: *Faciamus hic*. Hìc, & ſtatim? utique. Thronos non habebant, ſed meritis fulgurabant: thronoſque Petrus diſponit, dum ita vidit; quippe ſi ſplendor meritis; non decor, ibi illos eſſe ſine eximio ſplendore dignitatis: igitur qui viſi ſplendere & coram Principe, meritorum maieſtate; pigebat videre ſine maieſtate throni. Gloria labori cedat: iuſtitiaque præmia ſine affectione diſtribuat; eò quòd magis ſtoreat Reſpublica, modò in æmulationem civium honorentur merita: equidem ubi honorum ſplendor;

Matth. 17. 9.

Non eſt labor, ubi latet honor.

Dulcis erit mercede labor.

Ovid. 6. *Faſt*. v. 645.

DIDASCALIA V.

Interdùm defectus audientium ex defectu prædicantium.

1 HInc Dominus per Ieremiam querulus ait: *Ego plantavi te vineam electam, omne ſemen verum: quomodò ergo converſa es mihi in pravum vinea aliena?* Adulteratum eſt ſemen ſeminantium corruptione: deſciſcitque ab ingenita ſpecie; quoniam ex ſurculis radicis amabilis generoſitas, tota erumpit in labruſcas. Corruptionis cauſa indicatur à plorante Ieremia: *Prophetæ tui* (inquit) *viderunt tibi falſa & ſtulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Præcones & ſatores ſeminis verbi Dei, Vates olim conſtituti ſunt; ut floreret vinea virtutibus generoſitate ſeminis, & vites carerent vitijs: in pravitatemque vinea invenitur degeneraſſe, etiam electo atque legitimo ſemine; quippe pravorum lactabant frondoſitate malitiam, quos debebant provocare ex ſemine in pœnitentiam. *Vitis frondoſa Iſrael.* Seminis quidem natura profectò in fructus & folia: corruptumque patet ſemen, propriam amittens virtutem; ubi vitis prava nihil enutrit in fructum, quia tota in pompam foliorum. *Non eſt uva in vitibus.* Nihil mirum: tota vitium ſubſtantia in ornatum. Virtus ſeminis evaneſcit, ſi folijs dumtaxàt viget: etenim ſine fructu apparent vites, ubi fructus illarum frondes & frondes. Vernaculè: *Hojaraſca.* Iurè utique ſiccatur à Salvatore ficulnea, quæ tantùm habebat folia.

Ierem. 2. 21.

Thren. 2. 14.

Inutilis prædicatio, ſi ob. ſequitur auditorio.

Oſee. 10. 1.

Ierem. 8. 13.

2 En theatrum prædicantium depravato ſemine, quoniam propter oſtentationem eloquentiæ remanet ſine virtute: & ubi non eſt in prædicatione virtus, nullus eſt fructus igitur inanite foliorum, audientes impellunt in vanam gloriam; quos congruit provocare in criminum pœnitentiam. Taxat Stoicus. *Nimis anxium eſſe circa verba & compoſitionem, nolo. Habeo maiora, quæ cures. Quæ re* (inquit *Epiſt*. 115.) *quære quid ſcribas, non quemadmodùm: & hoc ipſum, non ut ſcribas ſed ut ſentias: ut illa quæ ſenſeris magis applices tibi, & veluti ſignes. Cuiuſcumque orationem videris ſolicitam & politam, ſcito animum quoque non minus eſſe puſillis occupatum.* Quid in motionem cordium voces fellicatæ, non ut matronæ, ſed ut meretrices cultæ; ex queis expectatur decus, & totum fucus? Thraſones ſunt in iuggeſtis, aures ſuſpendentes oraculis, phaleratà facundià, ac in cothurno arrogantià, quàm ſatuus aſpicit, quaſi è cœlo cecidiſſet: igitur ita ingenij oſtentant acumen; ut cogitantes pelliceant in ſui deliram admirationem, Dicunt mira de cicere, quid de lente? Quàm pulchra oractio picta, colorum pompa, ſophiſtica argumenta, quorum corpus crepitu vocum, invitè remanet extra ludicrum theatrum; cum luxurient vel in fletum vel in cachinnum dictiones, & floribus vernent mutationes theatrales; quibus ut vidimus ex Bernardo *Tautolog*. 7. *D*. 2. *n*. 1. concionator ex habitu fit notabilis, ex actione reprehenſibilis, ex ſermone contemptibilis: etenim quiſquiliarum inani congerie, apparet ſine ſenſu ſine probitate, perfrictà fronte. *Siccine* (inſit Florent. Schoonhov. *Emblem*. 73.) *in iſtis ſciolis noſtris, qui magnificis titulis, qui ſapientibus pileis, qui ſplendidis cingulis, qui gemmantibus annullis, bis terque magiſtri, abſolutam profitentur ſcientiam, & difinitionibus, concluſionibus & propoſitionibus, perſtrepunt, ſed inſaniunt; quia inſcitia confidentiam, & ſtoliditas ſubminiſtrat audaciam, & ut titillent aures, pruriunt pedes.*

Seneca.

Deridiculi oratores.

Florent.

Haud

3 Haud inficiandum, arborem orationis debere ornari ad fructus folijs & floribus; ut concionator (iuxta Auguſtini mentem, 4. de *Doctrin. Chriſtian*. cap. 17.) *doceat, delectet, flectat, oret & agat*. Verum ſi tota gratia, vana verba, futilis cogitaminis flores & folia; quænam in fructus doctrina? Ut fructus floreant; neceſſarium omninò, quod flores decidant. *Verbis contendere eſt* (inſit idem ibid. cap. 28.) *non curare quo modo error veritate vincatur, ſed quo modo dictio dictioni præferatur alterius. Qui non verbis contendit ſive temperatè, ſive granditer dicat; id agit verbis, ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat.* Decidant ergo concionatores à cogitationibus ſuis, quia vanæ cogitationes: etenim folia & folia viridantia ſine veritatis fructu; penſiles, logiſophæ, pravę cogitationes ſine intellectu. *Spiritus* enim *Sanctus* in motum atque converſionem cordium, *diſciplinæ effugiet fictum*: quærit quidem per verba ſolidam veritatem, minimè verborum ſpeciem & veritatis fictionem; qua alliciuntur otioſitate curioſi, & blaterant glorioſè dicaces locutuleij. *Cùm aliquando de re ſeriò Diogenes Cynicus diſſerens, nullum haberet auſcultatorem attentum* (ait Eraſm. in eo, p. 1. *Apophth*. n. 14.) *cœpit ineptam cantionem velut ſaltaturis. Ubi iam plurimi concurriſſent; obiurgavit illos, quòd ad ſtulta & inepta frequentes & alacres accurrerent: ad ſeria verò, & ad benè vivendum utilia, nec alacriter convenirent, nec dil genter auſcultarent.* Hac enim de cauſa plurium corona, dum prædicantur & frigida & frivola; cùm inſtar aſpidum obturent aures, ne audiant in poſitionem veneni veritatis latæ voces. Audiatur Plutarchus, libell. de *Audiendo*, ubi: *Non debent concionatores prorſus negligere ſuavem & ornatam dictionem: minimè eſt tamen de ea laborandum, maximè adoleſcenti. Decet itaque ubertatem & fucum abluere orationis, & fructum ipſum ſectari, atque æmulari apes: hæ enim folia florida & fragrantia ſectantur. Haud aliter ſolertem & ſyncerum auditorem oportet, pictam & luxuriantem dictionem, atque res theatrales & ad pompam paratam fucorum eam herbam ſophiſtarum ducere, ac miſſas facere: ipſum autem attentione ſenſum orationis concionatoriſque animum ſubire, ac decerpere ex ea, quod fructuoſum eſt & conducibile; memorem, non in theatrum ſe, neque in Odæum, ſed in ſcholam veniſſe, doctrina vitam correcturum.* Utor teſtimonijs Ethnicis, ut pudeant ſiccine infatuati audientes, ac vani concionatores.

Auguſt.

Quale illorum debet eſſe propoſitum?

Sap. 1. 5

Eraſm.

Vaniloqui & ſcurræ nec audiendi.

Plutarch.

4 De huiuſmodi nugis, & ſoliditate Evangelicæ nutritivæ veritatis, poſſum dicere, quod de volumine. Q. Sexti protulit Cordubenſis Stoicus, *Epiſt*. 64. *Quantum in illo* (inſit) *vigoris eſt, quantum animi, Dij boni! Hoc non in omnibus philoſophis invenies; quorum ſcripta clarum habent tantùm nomen: cætera exanguia ſunt. Inſtituunt, diſputant, cavillantur; ſed non faciunt, quia non habent. Cùm legeris Sextum, dices: Vivit, viget, liber eſt, ſupra hominem eſt. Oſtendit beatæ vitæ magnitudinem, & deſperationem eius non facit. Scies illam eſſe in excelſo; ſed volenti penetrabilem. Hoc quidem virtus ipſa præſtabit; ut illam admireris, & tamen ſperes.* Quorſùm ergo aliò intenditur animus, ſi in doctrinæ radice fructus inveniuntur & virtus? Cur Salvatoris ſchola in ſcenam convertenda? Quorſùm verborum ephippia? Ubi fructus, quorſùm folia? Nihil audientes capiunt, quoniam concionatores *telas araneæ texuerunt*. Laborant totis viſceribus, ſed impenſi laboris nullum eſt pondus evadunt qui ſubtiliter capti, quippequàm rumpitur rete. Succinit præfat. Florent. *Emblem*. 64.

Senec.

Virtus prædicationis ſine fuco ſit.

Iſai. 59. 5.

Ingenti ſtudio componit aranea telam,
Et tamen à cunctis teritur illud opus.
Sic magnas magno promit molimine nugas
Dum vigilat ſtudijs vanè Sophiſta ſuis.

Florent.

5 Cavet Petrus in concionatoribus huiuſmodi morbum, & prævenit ſolerter alexipharmacum. *Vos autem* (inſit) *curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam. Hæc enim ſi vobiſcum adſint & ſuperent; non vacuos nec ſine fructu vos conſtituent.* Forma prædicatoribus exhibetur, ut doceant, delectent, flectant, orent & agant; ut veritas Evangelica pateat, placeat & moveat. In orationibus intenditur verbis utilitas fructuum, haud vacuitates verborum: ſcientiaque cum virtute exponitur, quùm verbum Dei prædicatur; quoniam dumtaxàt virtus debet eſſe prædicationis conatus: equidem ſine fructibus æmulandæ virtutis, dumtaxàt audiuntur cerebri terebrati vacuitates. Debet concionator docere, delectare, & corda in virtutem flectere; ut poſſint audientes errores cordium cognoſcere, quo veritas patet, placet, & denique movet: tuncque ſcientia in virtute collocatur, dum in illam cor movetur; quoniam audiunt dumtaxàt verborum futilitatem,

2. Petr. 1. à 5.

Plauſibiles eius dotes.